



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Qua ratione coaceruare possit Ecclesiasticus orator. Cap. XXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

obliscitur decreta, cum diffarit. Eadem ratione dicit orator Ecclesiasticus: Superuacane vestes, sumptuosa conuiuia testantur vos non egere, vos non diligere pauperes, qui eis sua subtrahitis, ut crapulemini. Illustrius etiam hac forma dicendi adhibeatur: Vrbs Byzantium, quas voces emitteret, si loqui posset? ita vos iuuenes alloqueretur: Ite, pugnate alacriter, nobilissimam ciuitatem ad vexillum Christi restituite: veniat nunc Chrysostomi, qui me squallidam & plane mortuam resciant, ac nutriant: interficiatur scelestissimus sathana minister, qui me miseram tot iam annos opprimit. Quae dicendi forma, ad impellendos homines ad bellum, plurimum valebit.

Qua ratione coaceruare possit Ecclesiasticus orator.

Cap. XXVI.

MULTA in vnū coaceruauit Gregorius Nazianzenus in oratione de laudibus Heronis, ad eum orationem conuertens, cum dixit: Quocirca ut pro fide & pietate bellum suscipis, ita tibi inuicem ab impietate bellum infertur, atq; praeter alias multas dimicationes, quas, dum priuatos & principes erudis, publice atq; priuatim, quouis denique tempore, & loco doces, admones, arguis, increpas, virtutis causa suscepisti, ab impio & vesano magistratu correptus, virgis laceraris. Ita coaceruabit Ecclesiasticus orator: Miserum, iusto Dei iudicio concitatum est in rempub. Christianam bellum, vexant acrius, quam vnquam antea, domestici et acerrimi inimici, sathanas, mundus, & origo communium miseriarum
caro,

caro, affligit immanissimus Turca; eius tyrannidi noua quotidie regna subiiciuntur; discordia utinam nostra & peccata, iram Dei in nos magis non prouocent: quid igitur faciemus? lugeamus, doleamus, peccata nostra confiteamur, ad misericordiam Dei confugiamus.

Quo modo coniungantur ea, quæ rem attingunt, cum ipsa re.

Cap. XXVII.

BEATVS Basilus de intemperantibus fœminis loquens, ait: Intemperantes fœminæ, diuiniq; timoris oblita ignem æternum contemnentes, eo die, quo eas oportebat ob recordationem resurrectionis Domini, quietas sedere, & illum diem in mentem ac memoriam reuocare, quo calis patefient, quo de calis se nobis iudex in conspectum dabit, tubarum Dei clāgor, suscitatio à mortuis, iustum iudicem futurum, & æqua pro cuiusque factis præmia, pro eo, ut hæc animis et ratione expendant, corda sua prauis cogitationibus purgent, præterita peccata & scelera lachrymis deleant, seq; in occursum Christi, ad magnum diem eius Aduentus comparent; excusso Christi seruitij iugo è capite, abiectis honestatis & modestiæ integumentis, contempto Deo, spretis angelis, mariu adpectu per singularem impudentiam, recepto, comis reiectis & expansis, tunicas trahentes, & vnà pedibus ludentes, intemperantibus & proteruis oculis, effuso cachinno, ad saltationis insaniam stimulatæ, iuuenum libidinem omnium & lasciuiã ad se allicientes, institutis choreis, in ijs, quæ ante urbem sunt, martyrum monumentis,
reli-